Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32269
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

56

ac. Dixerunt: Nos peccatores domino Ihesu Christo nos ipsos sacrificium
offerimus. Tunc Carpasius vicarius adduxit in conspectu suo ecu-
leum. et iussit suspendi Crescentianum. et fustibus cedi in co-
spectu Cyriaci Largi et Smaragdi. Et cum diu adtraheretur
nervis et fustibus cederetur et ungulis raderetur, voce magna cla-
mabat dicens. Gratias tibi domine Ihesu Christe qui nos ad gratiam tuam dig-
natus es vocare. Carpasius dixit. Date flammas ad latera eius.
Et cum diu incendio conficeretur urereturque, emisit spiritum. Cuius corpus
iactari precepit ante clivum urbis in platea ante templum palacii.
Ipsa nocte veniens Iohannes presbiter et collegit corpus eius et sepelivit in ci-
miterio Priscille in harenario via Salaria sub die VIII.
Kalendas Decembris. Post mortem Crescentiani retrudit Carpasius Cy-
riacum Largum et Smaragdum in custodiam. Et post dies IIII.
sedit in eodem loco in Tellude: et precepit sibi presentari Cyriacum
diaconem. Cui sic dixit. Ecce dies senectutis tue cum tormen-
tis deducunt ad inferos. Cyriacus diaconus respondit. Ego semper
hoc optavi. Dicit ei Carpasius. Sacrifica diis immortalibus
et vives. Cyriacus respondit. Sacrificaverit eis qui non novit creatorem
suum dominum nostrum Ihesum Christum. Tunc iussit eum in catasta ex-
tendi, et adtrahi nervis et fustibus cedi. Cyriacus autem clama-
bat dicens. Miserere mihi peccatori domine Ihesu Christe. Eodem die nun-
tiavit Carpasius vicarius omnia Maximiano augusto que exercue-
rat in sanctos dei. Tunc iratus Maximianus augustus iussit omnes vinc-
tos qui erant in custodia una cum Cyriaco capite truncari. Et da-
ta sententia ducti sunt cum Cyriaco diacono cum promiscuo sexu XX.
unus. et decollati sunt via Salaria iuxta thermas Salustii fo-
ris muros. Quorum corpora collegit noctu Iohannes presbiter et se-
pelivit alios in eadem via. Sanctum vero Cyriacum collegit et com-
mendavit sub die XVII Kalendas Aprilis. Ipso tempore Maximianus inter-
fecit sororem suam Arthemiam. Et post dies octo veniens
beatus Marcellus episcopus cum Lucina matrona christianissima condi-
vit corpora sanctorum cum aromatibus et lintheaminibus. et inpo-
suit nocte in pagone cum eunuchis suis. et sustulit
ubi condita fuerant. Translata sunt corpora cum sancto Cyriaco in
predio eius via Ostiensi miliario ab urbe Roma septi-
mo. ubi requiescunt in sarcofagis lapideis quos manu sua
recludit beata Lucina in pace. anno VII die mensis augusti.
Eodem tempore beata Lucina fecit donationem de facultate sua
ex omnibus ecclesie catholice. Hoc audiens Maximianus
augustus indignatus proscriptione eam dampnavit. Beata autem

rogavit sanctum Lucina Marcellum episcopum ut domum eius ecclesiam
consecraret. quod et cum omni devotione fecit beatus Marcellus episcopus. Et
ubi dum frequenter in eadem domo missas celebrasset in media
civitate via Latina audiens hoc Maximianus augustus
iratus misit in eandem ecclesiam et fecit preceptionem suam ut in eadem
ecclesia plance extenderentur ad animalia catabuli pub-
lici. et eundem Marcellum episcopum ad servicium animalium de-
putaret in custodia publica. ubi et post multos annos
serviendo emisit spiritum sub die XVII Kalendas Februarii. Cuius cor-
pus rapuit Iohannes presbiter noctu cum beata Lucina. et condivit cum aro-
matibus. et sepelivit in cimiterio Priscille via Salaria non
longe ab urbe Roma miliario tercio. et requiescit in pace. Eo-
dem tempore precepit Maximianus augustus ad se venire Carpasium
vicarium. et interrogavit eum de discussione et nece sanctorum.
Et dum undique placatus esset Maximianus, petiit ab eo domum
beati Cyriaci. Cui confestim donavit domum Cyriaci diaconi.
Et dum introisset in eandem domum quam donaverat beato Cyria-
co diacono Diocletianus augustus invenit locum ubi sanctus Cyriacus
diaconus fontem edificavit. quem consecravit sanctus Marcellus episcopus.
ubi frequenter baptizabat sanctus Cyriacus venientes ad fidem. Tunc
Carpasius vicarius paganus cum delusione ingressus est in eandem domum.
Et cum introisset et invenisset baptisterium fecit in eodem loco balne-
um quod ad deridendam legem christianorum. ubi frequenter lupanaribus
et scenicis lavacrum exhiberet. Ipsi huic gaudens in loco sanctifi-
cato. Et dum frequenter ista fierent et epularetur cum scelestis.
quadam die cum lavasset et exhiberent epulas exeunte
Carpasio de balneo cum scelestis multis decem et novem cum
Carpasio vicario subito ceciderunt et mortui sunt. Ab eodem
die clausum est balneum. et factus est timor magnus in eadem regio-
ne usque in hodiernum diem. Dei autem gratia sanctorum corpora sepulta
sunt hoc est Cyriaci Largi et Smaragdi Crescentiani
Memmie et Iuliane via Ostiensi miliario ab urbe Ro-
ma plus minus octavo. ubi orationes eorum florent nunc et semper et
quousque mundus steterit. regnante domino nostro
Ihesu Christo cui est honor et gloria et potestas in secula seculorum. Amen.

Eodem die Fursei confessoris.

FUIT vir vite venerabilis Furseus
nomine: nobilis quidem genere sed nobilior
fide: sancti dignitate inter ceteros clarus. et in
divinorum munerum gratia usque perpetuus. Huius viri